

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

SISTENS

DIABETIS MELLITI SPECIMEN,
ADIECTA EPICRISI.

QUAM

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS CON-
SENSU ET AUCTORITATE

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE VIA-
DRINA VRATISLAVIENSI

PRO

SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA
HONORIBUS RITE CAPESSENDIS
DIE XXIV. NOVEMBRIS ANNI MDCCXX.

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRANCISCUS PANCRATIUS SCHUSTER,
MORAVUS TRIBOVIENSIS.

V.RATISLAVIAE,
TYPIS KUPFERIANIS,



VIRO

DOCTISSIMO, CELEBERRIMO, ILLUSTRISSIMO

ERNESTO DANIELI AUGUSTO

BARTELS,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, IN UNIVERSITATE LI-
TERARIA VRATISLAVIENSI MEDICINAE PROFESSORI PU-
BLICO ORDINARIO, PLURIM SOCIETATUM
LITERARIARUM SODALI &

DE STUDIIS SUIS ACADEMICIS
OPTIME MERITO

HUNC LIBELLUM

IN GRATIAE MENTIS TESTIMONIUM SUMMA,
QUA PAR EST, PIETATE

D. D. D.

AUCTOR.

Venit in mentem adumbrare imaginem morbi
haud frequentis, sed frequenter a summis quibus
que viris a) descripti. At procul absit a virium
mearum tenuitate velle colligere et censere o-
mnia, quae tot tantique medici de hoc morbo scri-
psérunt: eo maxime intentum esse juvat, ut, qua
possum, diligentia et, quo par est, veri studio, ex-
imium a memet ipso observatum diabetis mel-
liti specimen tradam. Ad quod opusculum tanto
lubentius me accingo, quod ea sit morbi natura,
in qua, nedum eruenda, sed vel modo indaganda
maximorum ingeniorum acies, ni frustra, certe
sperato minus eventu desudavit. In tanta igitur
rei caligine, ad quam dilucidandam sedula morbi
exemplorum descriptio haud parum confert, nil
omnino mandandum est oblivioni, quo morbi co-
gnitio aliquid incrementi valeat adsciscere.

a) I. G. KNEBEL Materialien zur theoretischen u. pract. Arz-
teikunde, Breslau 1800.

V. MUELLER Beschreibung d. Harnruhr, Frankf. 1800.
REIL Fieberlehre, B. III, S. 456.

P. FRANZ de cur. hom. morbi, epit. Vol. V. p. 38.

I. ROLLO Abb. d. diabetes mel. mit chym. Vers. v. W.
Cruikshank üb. d. Urin. u. Zucker. Aus dem Engl. von
Heidmann, Wien 1801.

§. 2.

Clinico medico, in urbe nostra florente, pro more denuo reserato, forte nobis obtigit (25. Oct.) aegrotus, diabete mellito laborans. Casu fortuito, eoque mihi perquam grato, evenit, ut curae meae speciali traderetur, qua pro virili gesta duce Clinici Directore, tanto magis laetor, quod auspicato minus coepita, faustissimo tamen eventu sit absoluta.

Iuvenis erat, viginti et sex annos natus, cui nomen IOANNES THEOPHILUS WIEDEMANN, natione Pomeranus, sutor, corpore haud procero, si primo obtutui crederes, robusto, coma flava, temperamentum sanguineo. Turgor vitalis, rubor modicus per genas diffusus, verbo, quidquid in extero corpore adspiceres, dexterissimam videbatur spire rare valetudinem. Qua tamen sub forma fallac habitus latuit, scrophulosus, fidus non raro diabetis assecula. Et longe absuit, ut verum homini in esset robur. Quippe, quem duris laboribus pare existimasses, eum levissimo cuique corporis motu succumbere, paucis scalae gradibus consensis at tubus contremiscere, miro quodam languore consumi, cephalalgia et vertigine correptum prostrerr ad lectulum vidisses. Quae adynamiae indicia in quieto quidem semper parcebant. Nihilosecius vel ex hucusque dictis abunde patet, morbum non fuisse eum, qui phthisuria nomine meritis insigniretur. Et quidquid spei restituendae valitudinis pristinæ assulgeret, ex hoc ipso fonte manavit.

§. 3.

Iam principum morbi symptomatum est mentio facienda, voracitatis, dipsaci et lotii abundantiae. Dira miserum excruciat, fames, esculenta nullo domanda. Masticare cibos taedebat, quo citius famelico ventriculo satisficeret; nec ingesti digeri posse videbantur, nedum digesti assimilari, interjecto peregrino duntaxat temporis intervallo sumtum cibum inter et famem detinuo recrudescens tem. Prorsus satiari se unquam negabat, vel maxima ciborum mole assumta. Eadem et sitis erat ratio, nullo aequo potulento penitus sedanda, sic ut inter singulos haustus vix sexagesima hora pars interesset. Lotii quantitas per nycthemeron miseri quantitatem humorum, intra idem tempus assimilatorum, multo videbatur excedere. Quod primo die (26. Oct.) apud nos misit, odoris erat, cujusmodi viola odorata spargere solet, caeterum coloris ferre aquosi et pellucidum a meridie, flavum et subturnbidum noctu et mane missum. Sapor lotii aegroto teste, quotidie illud pluribus vicibus gustu explorante, dulcis erat, sacchari aut aquae instar, cui mel admixtum sit. Nec aegroti effato diffidendum putavimus, uti ex anamnesi infra elucescat. Quantitas lotii primo die circiter quatuordecim libras a) pondere aequavit, etsi, quae intra idem tempus assumserat alimenta liquida simul ac fluida, vix superaverint libras octo. Non defuerunt et

a) Novissimi ponderis horussici,

multa reliquorum signorum, morbo nostro solen-
nium. Os continuo siccum ei videbatur repletum
que materia viscida, tenaci, subdulci, semper ad
screatum provocante. Lingua erat albida, margi-
nibus rubicunda nitentibus, gingiva dolens, laete
rubens et tumens, dentes velut acido quodam ob-
tusi vacillare ei videantur. Cutis erat sicca, a
sudore per omnem hucusque morbi decursum o-
mnino desuefacta, calida, imo interdum fervens in
facie, pectore et abdomen, frigens contra in extremitatibus,
maxime inferioribus, quae caloris et
frigoris sensatio tum a manu alterius tangente,
tum ab aegroto ipso percipiebatur. Pulsus arte-
riarum primo die horis matutinis quinquaginta et
sex numeravimus. Accessit dolor trahens et ad-
modum molestus regionis lumbalis, sedenti et ja-
centi, quam lente ambulanti stantive molestior,
laboro vel minimo valde exacerbari solitus. Cui
dolori sese junxerat frigescentis quasi liquidi, e
lumbis in vesicam descendensis sensatio, quam ae-
grotus ranis coaxantibus comparavit. Pupilla in
ipsis tenebris erat justo contractior, myopia una
cum amblyopia vexabat miserum, ipsaque lux
diurna vel sole nubilo offenderat oculos.

Haec erat morbi facies, cum eum sanandum
susiperemus, spe aliqua freti non fore, ut incas-
sum artem operamque collocemus, etsi morbi
diuturnitas prognosin aliquanto redderet tristiorum.
Et elusa fuisse sanationis spes, nisi nos naturae
adhuc validae subsidia adjuvissent.

§. 4.

Antequam instituae medelae imaginem red-
dam, paucis anamneseos meminero. Si aegroto fi-
des habenda est, morbus undecim fere mensibus
prius, quam ad nos venit, (Dec. 1818.) nulla aper-
ta causa praegressa, initium ceperat. Si affectiones
catarrhales et rheumaticas leviores, nec non ulcera
urethrae syphilitica exceperis, quibus bene longo
ante morbi novissimi primordia aliquoties se affec-
tum, curaque deinceps medica liberatum ait, ullo
se negat antea morbo decubuisse. Num vero ul-
cera illa venerea rite sanata erant, nec ne? num
forte aliquid inde ad gignendum diabetem redun-
davit? — Cum morbi signa initio essent utique
leviora, crescentem famis violentiam e dura et la-
boriosa vitae conditione derivare, imo meliorem
vim digestivam canali alimentario obtigisse maluit
sibi persuadere, quam inde tanti morbi originem
divinari. Sitim initio invalescentem adamasse se
ait; cum nec ante morbum potulentorum osor ex-
titerit. Lotii se justo majorem mittere quantita-
tem non statim animadvertis; aut certe mirum
non videbatur cogitanti, se et amplius bibisse.
Caetera mali symptomata partim ingravescenti de-
num morbo sese associaverant, partim erant le-
viora, quam quorum rationem haberet. Quare
prodromorum, si qua unquam in diabete oc-
currunt, et initiorum stadia ab aegroto non erant
animadversa. Stadium incrementi observatum qui-
dem, sed temere neglectum, nec ejusdem habita
est ratio prius, quam morbus eo insurgeret magnitu-

dinis, ut de latente in corpore malo jam cooperit cogitare. Nihilosecius nulla eidem methodo aut diaetetica aut therapeutica occurrit, mensesque abire quatuor passus est incurius. Quid? quod variis, ut res locusque tulit, potentiss noxiis sese ultro dedidit, mali pondus haud parum aggravantibus, sectando Venerem et Cererem, cum Bacchum per rerum penuriam minius valeret, corpus nec a frigore nec aestu prudenter tuendo, alimenterum nullum faciendo selectum, verbo, in corpus infirmum supra, quam cuiquam credibile sit, peccando. At ecce! dum adeo sui securus in vitae reliquias temere invehitur, nulla juvante ope medica subito fames, siti et quantitas lotii minuitur, vires crescent, oculorum acies reddit, imo haud multum aberaat, quin pristina per dies circiter viginti valetudine frueretur. Quid mirum, punc prorsus ei stabilitam fuisse opinionem, nil morbos sub abnormi illa functionum specie latuisse? Sed occulti sub cinere doloso ignes mox eo ferocius eruperunt, quo se nunc tuforem putaret miser. Quippe jam deserta via lenta morbus repente eo increvit gravitatis, ut sex mensibus ante, quam nostram implorasset opem, Stettini medico cuidam sese crederet, qui lotium gustu exploratum saporis mellei se reperisse, datis aegroto literis testatus est. Cujus medici theoria, quantum e narrante aegroto didicimus, circa tonica versabatur, amara enim sibi medicamenta per omne, quo Stettini degeret, tempus porrecta fuisse affirmavit, interdicto sibi maximam partem victu vegetabili, cerevisiae tamen usu, quantum thau-

riendi esset animus, permisso. At bibendo non acquievit sitis, ita, ut intra diei spatium, tantum quam Vratislaviam se contulisset, septem mensuras Berolinenses ceteriae facile modo ingurgitarit. Quo dipsacō caeterisque morbi signis in diēs crescentibus, artis medicae et naturae servatricis conatus eludentibus, prbem nostram petendi consilium cepit, ubi in nosocomio 00. SS. receptum, (28. Sept. 1819.) et praeter similem ac Stettini diaetam, corticem Cascarillae adhibitum scimus. Mense post demum ad Clinicum medicum translatus est (26. Oct.). Plura, quod dolendum, de morbi apamnesi nos latent. §. 5.

Iam, qua via nos malo pertinaci obviam iverrimus, paucis exponam. Morbo genesis causa locali innixa non videhatur, sed quod affatime testabatur absentia symptomatum; quae calculum renale, laesionem renum, materialem, inflammationem aut aliud hujus organi irritamentum locale indicassent. Suspicio, metastasis materiae rheumaticae, catarhalis aut syphiliticae locum habuisse, haud absurdum videtur. Ut cumque autem res se habeat, nullus dubito, quin morbus, quem nos accepimus, non in renibus unice, sed in universo potius systemate reproductivo fuerit quarendus. Hinc, quod ad multas de diabetis natura theorias attinet, ea nobis maxime arridebat, quae causam proximam morbi in dyscrasia universalis et totius systematis reproductivi affectione ponit, quae dyscrasia gradatim, jam abnormi assimili-

latione et sanguificatione perversaque anima-
lisatione alimentorum; jam secretionē et excretio-
ne matēriae saccharinae; jam suborta inde decom-
positione partūm solidarūm organismi sese mani-
festat. Sed hanc potissimum theoriā amplexis
emolumētum nonnisi negativum redundavit, per-
suasis, non sola stimulantia, non sola roborantia
et adstringentia, non sola anodyna, sedantia, cál-
culo adversa, solventia, diaphorética in usum vo-
canda esse, contra errare eos toto coelo, qui tem-
tere huic illive medicamentorum classi confidant.
At quomodo universalis illi organismi dyscrasiae
occurrendum erat? „Nullibi,“ ut verbis utar
scriptoris gravissimi a) „medicina auxiliī tam
egena est, quam ubi majores remediōrum
divitias pro una eademque aegritudine
possideri gloriantur theoretici, atque in
ipso diabete tam varia tamque contraria
int̄er se auxilia laudata fuerunt, ut vel
ex hac sola rationis medendi inconsan-
tia plurimorum, jam nimis manifestetur
inertia.“¹⁾ Qui tamen per dūcendū solam ratione
admodū magis quā vīcīo signū diabētū perducere
et amicū compaginare? §. 6. per adētū solam
ratione auxilia op̄rū solitū operari, ne videlicet
curā ūt. ²⁾ Ad curā ad 18.

¶ Causae morbi remotiores: etiā obscurae, tamen
de stabilienda cura, si minimus therapeutica, certe
diaetetica, commonebant. Vitae ratio libidinosa,
etiam mesopytēja, frigida, inquinata, mētē, vī
vī cibis vīcīo, levitatis vīcīo, vīcīo emaciante
etc. ³⁾ PET. FRANK I, c. P. I, pag. 62. &c. &c. etc.

amor patuum spirituosorum, cerevisiae et vegeta-
bilium sine dubio usus immodicus, cutis functio
turbata, immo suppressa: haec aliaque indicabant
quaes potentiae noxiae ab aegroto essent removen-
dae, eosque ipso directam quoque viam diaeteticam
muniebant. Quare (26. Oct.) excepto pane albissimo,
fermentatione bene subacto, omnem vegeta-
bilium usum strenue interdiximus, in quorum lo-
cum victum animale, carnem videlicet bubu-
lam, subinde et vervecinam, suillam et cervinam,
potum mucilaginosum e cornu cervi raspato, et
pane albo paratum substituimus, cerevisia om-
nino vetita. Cum tantus sit cutis et organorum
uropoēticorum nexus, ut vicaria binis organis
jura sint, ad revocandam et promovendam cutis
actionem, scopo magis derivante quam antispa-
stico, nudo corpori vestimenta lanea in-
duenda, omneque refrigerium caute ab aegroto
arcendum curavimus, concesso etiam moderato
spiritus oryzae usu, tum diaphoreos alendae cau-
sa, tum fine excitante.

Quae cura diaetetica, a maximae notae
viris proposita, et hoc loco rei naturae omnino
accommodata, longe tamen abest, ut sola fuisse
suffectura ad malū obstinacij devincendam. Quā-
re et therapeutice in systema reproductivum qui
agere wus, illud elegimus medicamentum, quod
suadente et laudante Rollo maximam in hoc
morbo opem tulisse fertur, Ammonium sulphur-
atum, cuius singulis horis ḡuttam initio unicam
potui ordinario instillandam dedimus, aucta sub-

inde dosi ita, ut die duodecimmo (12. Nov.)^{a)} jam guttas quinque sumeret.

Cura sic instituta, jam die tertio (28. Oct.) lotium non amplius redolebat violam odoratam, neque odor ille per ulteriorem morbi decursum rediit, sed paulo ultra finem hujus periodi lotium mansit inodorum. Voracitas primis diebus non modo non est redditia minor, sed eo contra accredit, ut tempore, jentaculum inter et prandium coenamque intermedio, panem album butyro illatum misero non denegarimus, sic ut intra diem tres circiter carnium, totidem panis albi libras consumeret. Sitis paulo decreverat, nec amplius, quam sedecim libras potulentii illius mucilaginosi per diem ebit, cuius initio viginti quinque vix suffecerant. Noctu praesertim rarius jam expergescunt, sitis ad bibendum admonuit.

Die sexto (31. Oct.) diarrhoea e refrigerio, cui imprudens sese exposuerat, correptus, fame sitique minori laborare coepit, sed jam taedebat eum decocti albi Sydenhami, in cuius locum aquam simplicem cum vitellis ovorum, addito pauxillo spiritus oryzae substituimus, a quo tamen potulento jam paucis diebus post sponte ad priorem rediit, nec idem amplius recusavit.

Quae ad promovendam cutis functionem adhibuimus, exoptati suere eventus. Prima statim nocte cutis facta est mollis, humida, extremitates

a) numerando videlicet ab eo die, quo apud nos morari cooperat.

frigere desierunt; altero die, cum in lecto morari juberetur, sudavit valde, idque dein quotidie, tempore maxime matutino, antequam cubitu surgeret. Et tantum abest, ut inde corporis vires collaberentur, ut potius indies confortarentur. Sudorem hunc, quantum fieri potuit, collectum, gustuque exploratum nunquam dulcem reperit. Dolor regionis lumbalis, nec non sensatio illa frigens, quam ranis coaxantibus comparaverat, quinto die (30. Oct.) prorsus evanuit, neutro symptomate amplius comparente. Arteriarum pulsus facti sunt paulatim frequentiores, sic ut die nona (4. Nov.) jam octoginta sex numerarentur.

Quae cuncta haud infausta sunt visa, at lotii et quantitas et qualitas vix erat mutata, sub finem enim hujus periodi tredecim librae et dimidia lotii excretae sunt saporis adhucdum dulcis. Quo sapore fallaci ne forte deciperemur, experimen-to a Dre SEIDL instituto innouit, cuivis hujus lotii librae infuisse drachmas tres et dimidiam materiae saccharinae, redactae ad consistentiam syrapi subcrystallisati. Nec quidquam ad princeps morbi symptoma tollendum profuit laudatus item a ROLLO cantharidum usns, quorum pulverem pilularum forma Ammonio sulphurato interponendum putavimus, sextam grani partem pro dosi, intra dies octo ad dimidiad adscendendo. Pari modo nec oculorum, nec gingivae, nec dentium, nec saliva conditio quidquam erat immutata.

§. 7. ut supra. A die curae 18. ad 33.

Quamobrem alio mentem intendere visum est, idque natura indice (12. Nov.) Diarrhoea illa, initio faeculenta, dein aquosa, aegrotum per dies quinque exercuerat, et, quod notatu dignum, noctu potissimum recrudescebat. Cum caetero quin nihil inde detrimenti imminere videretur, nec vires exhauirerentur, eadem non modo non supprimendam, sed, postquam sponte cessavit et per dies septem jam siluit, denuo redeuntem censuimus alendam, eo consilio, ut adacta canalis alimentarii actione, abnormi renum functioni obex opponeretur; fieretque, ut ad cutem diaphoreseos ope, ita ad canalem alimentarium salubris a re nibus derivatio. Cui fini ut eo tutius satisficeret, medicamenta selegimus; quorum virtuti purganti alia juncta est specifica in organa uropoëtica, videlicet radicem rhei moscovitici addito extracto chelidonii, forma pilularum, sic ut altera quaque hora singulorum sumeret grana decem, quam dosin per totam hanc periodum servavit eandem, retento spiritu oryzae, at sepositis cantharidibus et spiritu Beguini. Nec spem fefellit experimentum. Ecce! lotii quantitas intra nychthemeron missi repente descendit ad libras septem, subinde ad quinque. Sexto hujus periodi die (18. Nov.) urinosum quoque odorem recepit lotium, non deposito tamen sapore dulci. Famis sitisque conditio eo descendit, ut non multum a norma abhorere videretur. Subinde lotii uti et animae odor

putridus factus est, sine dubio a diuturno victu animali. Et frequens alvi solutio id tandem cum haberet incommodi, ut corporis debilitas gradum haud mediocrem attingeret, etsi facies omnisque corporis habitus in contrariam inducerent opinionem; huic adynamiae ut succurretur, salva methodo evacuante, moderatas tinturae calami compositae doses medicamento primario interposuimus (24. Nov.), idque non sine effectu exoptato. Reliqua mali symptomata pertinaciter haerebant, patientiam et artem eludentia.

A die curae 33. ad 49.

Aegrius jam coepit alvus solvi (28. Nov.), Rheo adsuescere visa, cuius loco nunc pulverem radicis Ialappae dedimus, retento Chelidonio, singolurum grana octo pro dosi, seposita quoque tinctura calami, ne quod scopo primario impedimentum enasceretur. Sed nihil mutabatur morbi facies. Quare (1. Dec.) omnibus remotis medicamentis soli methodo diaieteticae per dies quinque acquivimus, ut, quid relicta sibi natura valeret, innotesceret. Sed speratus aberat conatibus eventus, contra vero fluere et retro sublapsa videbatur spes. Alvis obstipatur, lotii quantitas duodecim, et quod excedit, libras denuo aequat pondere, fames et sitis augetur. Ad purgantia ultro (6. Dec.) recurrimus, addentes Ialappae hydrargyri muratici mitis granum pro dosi, altera quaque hora. At proh dolor! ita non tulit hydrargyrum miser, ut

alvo ne semel quidem intra diem soluta, aestu intolerabili toto corpore invasus, adynamia universalis velut consumtus, flebilem redderet imaginem. Cuncta morbi symptomata deteriorem induerunt speciem. Hinc (7. Dec.) deserto mercurio, magnis natri phosphorici dosibus alvum nequidquam saepius, quam semel de die recludere conati, ad rheum et chelidonium (9. Dec.) denuo configimus, nec amplius ab eorum usu recessimus, singulorum grana quindecim altera quoque hora exhibentes, subinde ad triginta et quatuor adscendentes, interjecto usu modico tincturae amarae. Atque sex dierum spatium alvi et lotii excretionem in eum denuo rededit statum, qui erat primis periodi praecedentis diebus. Sed antequam ad haec medicamina iterum configimus, aegrotum prae caeteris exercebat quoque osteocopus frontis, humerorum et tibiarum; nocturno potissimum tempore exacerbatus, sic ut mali syphilitici latenter suspicio non potuerit non oboriri, nisi anamnesis et iniquus hydrargyri nuper adhibiti effectus monuissent, haec morbi venerei signa potius enim olim antisyphiliticorum usu, nec non ex ipso diabete esse profecta. Balnea tepida, alternis diebus quater repetita, huic malo intercurrenti medebantur, simulque ipsius diabetis curae respondebant.

§. 9.

A die curae 49. ad 95.

Haud procul adhuc in medela progressi, methodo purganti et roboranti jungente tertiam de-

crevimus (15. Dec.), qua nimirum continua nausea alitur, tam fine antispastico, quam par tim ob eximiam hujus methodi virtutem in morbis systematis lymphatici, quibus causa materialis nulla subest, partim ad promovendam cutis actionem. Difficulter aegroto nauseam movimus, id que non prius, quam ad integrum pro dosi granum tartari stibiati tertia quoque hora, pervernum est (18. Dec.). Quorum trium medicaminum usum successivo, habita simul stricta diaetae ratione, non sine laetitia id effectum vidimus, ut octavo hujus periodi die (23. Dec.) sexies intra nychthemeron solveretur alvus, lotii nonnisi tres librae excernerentur, saporis tempore vespertino acidi, mane subdulcis. Utrumque in succum croti tinctorii, acidi instar reagit, et ex aqua calcariae ustae calcariam phosphoricam praecipitavit. Iam ipsa saliva salvi aegroto videbatur saporis. Fames et sitis conditio a normali non multum discrepare coepit. Arteriarum pulsus, ex quo majores rhei et chelidonii doses porrectae erant, redditi sunt perrari, nec quinquaginta numero excedeant.

Iam in portu nobis nayigare visi, tuto coepit perreximus methodo, quum tanquam ex insidiis repente hostis prouumperet novus, synochus, catarrhalis, quem, omni reliquo medicaminum apparatus seposito, solius ammonii muriatici usus propulit. Quo sex dierum spatio sitis et quantitas lotii aucta, alvi solutio rarer, fames pro re nata ita erat minuta, ut eum proprium aequaret ciborum appetitum, qui sanorum est. Lotium et saliva dulciuscum item saporem induerant.

Victa febre (29. Dec.) ab priorem redditum est medendi methodum, quam deinceps per triginta ipsos dies continuavimus eo cum eventu, ut lotium salsi fieret saporis, voracitatis et dipsaci, myopiae et amblyopiae ipsiusque debilitatis universalis vix notabilia superessent vestigia, et non nisi dulciusculus salivaë sapor hostis nondum omnino devicti praesentiam testaretur. Multum tartaro emetico debuimus sane, attamen de aliunde adhuc vocandis auxiliis tempus admonuit. Hinc in praecclari medicaminis vices acida mineralia, in diabete non immerito laudata, collocare rati (28. Ian. 1820.), tincturam aromatico-acidam, scopo duplice satisfacturam, purgantium usui junximus. Quinto abhinc die (2. Febr.), saporem salivaë amarum esse affirmantis, nec ex ulla alia parte male valentis precibus importunis, qui e Clinico dimitteretur, non prius eramus velificaturi, quam per aliquot saltem dies omni cura therapeutica vacantem observassemus. Quorum dierum altero (4. Febr.) jam omnis saporis expertem esse salivam contendit, quarto (6. Febr.), cum morae impatiens aegre retinereatur, maximam certe partem sanatus, est dimissus. In urbe nostra dein operam fecit, legibusque diaeteticis qui obtemperaret, admonitus, aliquoties per proximos menses ad nos revisit, prospera omnino valetudine fruens. Nunc ubi degat et qui se habeat, nos fugit.

E P I C R I S I S.

Quod in hujus libelli capite jam inqui, iterum velim mihi condonatum, ut ne eo consilio

brevem huic opusculo epicrisin subjungere liceat, quo, quae de hoc morbo a tot tantisque viris copiose et praeclare scripta sunt, colligam et censente calamo lustrem, id quod herculei foret laboris, nec humeris meis accommodatum; sed ut paucula tantum animadvertam, quae habita maxime casus praesentis ratione, notatu imprimis digna mihi videantur.

ad §. 1.

diabete mellito. Mea quidem sententia morbi hujus aptior foret denominatio urorrhœa renal (REMER), quam diabetes, quo nomine non excluditur incontinentia urinæ, satius urorrhœa cysticalis (REMER) denominanda. Et quodammmodo etiam lienteriam urinalem diabetis nomine completi licet. Equidem nihilominus diabetem compellans morbum, usui id dandum putavi, quem penes jus et norma loquendi est. Num autem diabetes mellitus (perperam melitus, ut multis placet) propria sit urorrhœæ renalis species, sub judice adhuc lis est. Verisi. millime tantum levior morbi gradus est diabetes insipidus. Caeterum quaeritur, an urinæ insipidæ nunquam substantia illa saccharina insit. Sunt enim alii, qui urinæ diabeticæ saporem nunquam dulcem invenerint (CÜLLEN), contra alii, qui affirment, non modo diabetorum urinæ, sed et hominum caeteroquin bene valentium, si de quinque causa, vel non morbosa, quantitas nimia missa sit, inesse saccharum.

ad §. 2.

phthisuria. NICOLAS et GUEDEVILLE primi vo-

carunt morbum istum phthisuriam (phthisurie sucrée). At si illi duntaxat morborum generi nomen phthiseos convenit, cui suppuratio organi cujusdam interni propria est, vituperanda videtur illa denominatio, cum renes diabete defunctorum in suppurationem transiisse vix unquam sit observatum.

ad §. 3.

viola odorata. Similem odorem etiam spargere solet urina ab usu olei terebinthinae, verum hic, secus ac in diabete, ipsa medicaminis substantia odorifera non mutata per renes excernitur. Simili modo substantiae tinctoriae rhei, ligni campechiani, materia odorifera kali sulphurati, nec non acida, haud decomposita (MORECCHINI. Salzb. med. chir. Zeit. 1807. N. 62. S. 192.) per renes excerni dicuntur. Sunt etiam, qui vinum rhejanum (BARTHOLINUS Cent. 1. obs. 81.), alii, qui cerevisiam, ab aegroto dein rursus haustam (BEIREISS), aquas medicatas et similia, non mutata e renibus excreta narrent. Sed haec fabulas redolent, etsi priores illae observationes satis ostendant, ideam lienteriae urinalis non esse absurdam, cum qua autem urorrhœa renalis non est confundenda, nec cum coelica urinali (KNEBEL I. c. pag. 140), ubi post alimentorum digestionem succus entericus una cum lotio excernitur.

ad §. 4.

prodromorum. Stadium prodromorum, uti in plerisque morbis apyreticis, ita in diabete quoque desideratur, certe non animadvertisit, aut vilipenditur. Pyretici autem quidquam morbo isti inhae-

rere, valde dubium est, licet ipsi REILIO visum sit, aliiquid inflammatorii in renibus diabete defunctorum invenire. Multo enim facilius explicatu sunt signa, quae interdum occurruunt inflammationis, si ea morbi effectum, quam causam putare malimus.

tonica. Raro prosunt in diabete roborantia et tonica, id quod etiam methodus in aegroto nostro Stettini adhibita demonstrat. Unde sequi videtur, eos falli, qui morbi naturam in sola renum atonia collocandam existimant. Non desunt quidem testimonia, renes in cadaveribus diabeticorum summae atoniae phaenomena exhibuisse. Sectio cadaveris diabetici a RUTHERFORD instituta renes valde dilatatos, magna vasorum copia refertos, ureteres item dilatatos ostendit; vasa abdominalia sanguine turgebant, et corpore caeteroquin macilento pectoris et abdominis cava erant adipe repleta. (Edinb. med. and surg. Journ. Vol. I. H. 3. N. VII). — F. BEDINGFIELD refert historiam diabetici, cui venaesectio utilis erat, qui vero mortuus est hausto per errorem spiritus vini quantitate non mediocri. In cuius renibus inventae dicuntur hydatides, quae num fuerint mortis causa, dubium est, cum canum diabeticorum renes etiam hydatidibus repleti interdum observentur, nec inde unquam mors sequatur (A compend. of med. chir. pract. of F. REDINGFIELD Lond. 1816). — Narrat idem RUTHERFORD, se feminæ diabeticae renes fere cartilagineos vidisse, télam cellulosam circa pelvem sero refertam, partem corticalem supra modum rubentem, velut injecto cinnabari, cry-

ptaſque illius plures solito et majores (WARREN in med. transact. Vol. IV. 1813. N. XVI.) Sed haec atoniae signa pariter effectus morbi potius, quam causa putanda sunt.

ad §. 5.

causa locali. WILL. PROUT (Bemerk. üb. d. Nat. d. näheren Bestandth. d. Harns mit Hinblick derj. Mittel, w. denj. Krankh. vorbeugen können, die aus einer fehlerh. Beschaff. d. Harns entstehen. Med. chir. transact. Vol. VIII. Part. 2. 1817.) duplicitis originis esse omnem morbosam urinae secretionem ait, localis niempe aut universalis, plerumque tamen universalis. Unde concludit, ea potissimum remedia morbis hujusmodi mederi, quae immutare secretionem urinae valeant, qualia v. c. sunt alvum purgantia.

causam proximam. Quas veteres medici de diabetis natura statuerunt theorias, perverso systemate humorali innixas, praetereundae silentio censendae sunt. Recentiori aetate tres potissimum opiniones de laurea certabant, qua nulla earum omnino digna videtur, licet non sit inficiandum, in singulis reperiri aliquid veri. Sunt, qui a solis organis uropoeticis morbi originem repeatant (BRIS. BANE), alii, qui in abnormi cutis et vasorum absorbentiam functione morbi causam collocent, quo etiam P. FRANCK opinio referenda est, similitudinem diabetem inter et rabiem statuens (l. c. T. V. p. 83. — DARWIN Zoonomie übers. v. BRAN- nis 2^e Abth. S. 63. — KAUSCH med. chir. Erf. in Brief. &c. Leipz. 1798). Aliis demum sola depravata, imo abnormi ratione aducta ventriculi

functio ad explicandam morbi naturam preeplacuit (LISTER, BORSTERT et novissime ROLLO l. c. p. 387.) Quae cuncta non sufficere ad diabetis causam proximam declarandam, preeclare ostendit HENKE (Handb. d. spec. Pathol. Bd II. p. 286), qui eam in totius systematis reproductivi anomalocrasia quaerendam judicat. Cui theoriae pree omnibus REILII opinio, diabetem esse speciem morborum generis per ampli, ne cum satis explorati, ex asse respondet (l. c. p. 457). Namque et alia organa excretoria substantiam saccharinam excernunt. Ita saliva et sputa phthisi pulmonali affectorum dulcia sunt. Sic diarrhoeae chronicae macies et bulimus succedit, nec non substantia saccharina (P. FRANK) excernitur. Et sudor colléquativus (P. FRANK), nec non hypochondriacorum dulcis est observatus. Ipsum cerumen aurium teste HIPPOCRATE (Eph. N. C. Dec. II. Ann. 3. Obs. 91.) et HUEHNER- WOLF in phthisicis dulcis est saporis. Hydrops (FRANK) et ptyalismus (REIL) diabetis vices alternant. Ipsae plantae morbosam quadam materiae saccharinae excretione laborare videntur, qualis est gummi quarundam arborum, nonnullarum plantarum succus melleus, vitae vegetabili funestus. (Journ. d. Erf. Théor. u. Widerspr. B. 6. St. 21.) Hinc diabetes eo tantum a pluribus aliis morbis cachecticis differre videtur, quod materia animalis decomposita ad renes delata, ibi ad parandum saccharum impensa, excernatur, cum contra in aliis crasionisis per sudorem, diarrhoeam, sputa, blennorrhoeas omnigenas, ulcera, impetigines et similia viam sibi muniatur. Huc forsitan et referenda quaestio est, an

phthisis florida non sit interdum diabetes male cognitus (ROLLO)? — PEARSON (ROLLO's Abh. üb. d. diab. Harn 1798.) in sanguine et urina omnium animalium produci posse saccharum putat, et dulcem chyli saporem, similiter atque lactis, a saccharo pendere. Quemadmodum igitur saccharum hic ad normam pertinet, quia lac et chylus in inferiore organisationis gradu consistunt: ita, saccharum, si in excretis corporis animalis contineatur, utique ad phaenomena abnormia numerandum existimat. — Unde etiam patet, discrimin diabetem insipidum inter et mellitum neutiquam esse tantum, quod diversas species statui jubeat.

sanguificatione. Cogitantibus, diabetis naturam in toto systemate, reproductivo, speciatim etiam organorum chyloëticorum esse quaerendam, dubium non erit, etiam in sanguine substantiam illam saccharinam formari posse (ROLLO, CRUIKSHANK, BOSTOCK, PEARSON). Id quod e leibibus physiologicis manat, quae docent, omnium excretionum perfectissimam esse urinam, ab ea excretionis organicae finem perfectissime attingi, quippe in formatione retrograda substantiae organicae sitam. Et cum formatio sanguinis sit functio prima omnis reproductionis animalis, urinae secretio aliud esse nequit, quam perfecta sanguinis decompositio, quae tanto certius in abnormi ejusdem secretione locum habeat necesse est. (v. EENST BARTELS Physiol. d. menschl. Lebensth. Freib. 1809.)

ad §. 6.

victum animalem. Quidquid agit in sistema reproductivum, mutat substantiae corporis qua-

litatem. Non possunt enim produci materiae compositae, nisi substantiae remotiores adsint, et quidem ratione justa. Luculento testimonio inservit diabetes, ubi alimentorum animalium usus obstat, quominus substantia saccharina acidumque benzoinum, brutis herbivoris proprium, in urina pareatur (REMER allg. Ther. p. 438.) Contra vero non est dubium, quin victus animalis nequaquam sufficiat ad diabetem radicatus sanandum, JOHN, BOSTOCK et HERBMSTAEDT testibus. E cujus usu lotium quidem dulce esse desinit, durantibus tamen caeteris morbi symptomatibus, id quod etiam in nostro aegroto locum habuit. (Memoir. of the med. society of Lond. Vol. VI. — Journ. f. Chem. u. Phys. 1806. Bd. 2.) Non obstante itaque therapiae a ROLLO commendatae praestantia, ea tamen victui animali laus non debetur, qua eam DUPUYTREN et THENARD extollunt, morbum nullo in stadio esse insanabilem affirmantes, si victus animalis adhibetur, cui eandem in debellando diabete virtutem tribuunt, ac in febre intermittente cortici peruviano. (Ann. d. Chemie T. 59. — Jour. f. Chémie u. Phys. 1806. II.)

vestimenta lanea. REMER diabeticae cuidam feminae Regiomontanae, cui prior medicus potum ad perexiguam quantitatem restrinxerat, bibere, quantum vellet, permisit, contra eam toto corpore nudo vestimentis laneis indutam sanavit.

experimento. Primam accuratiorem lotii diabetici analysin instituerunt NICOLAS et GUEDEVILLE (Ann. de Chemie. T. IX. — CRELL's chem. Ann. 1803 H. 1. St. 5. — Allgem. Journ.

d. Chem. 1803. Bd. 1. H. 4.), qui ostenderunt, huic urinae nihil fere acidi urici et urii (uré) inesse, nullum reagens indicare acidum liberum, eamque maxime e saccharo et natro muriatico constare. Alii acidum liberum adesse contendunt (HORKEL's Arch. Bd I. S. 119), alii prorsus negant (BEAUMÉ's Vers. eines chemischen Syst. d. Kenntnisse v. d. Bestandth. d. menschl. Körpers. A. d. Fr. v. KARSTEN mit Anm. v. HERMBSTAEDT. Berlin 1802.). Sed verisimilime morbi gradus illam diversitatem producit. Quod ad ipsum saccharum lotii diabeticorum attinet, illud teste WILL. PROUT a saccharo regni vegetabilis eo tantum differt, quod paulo plus azoti et multo plus aquae continet. Idem valet de saccharo lactis. Hinc specierum harum diversitatem admixtis corporibus heterogeneis adscribendam existimat auctor.

cantharidum. Usum diureticorum fortiter excitantium, a ROLLO et WATT magnis encomiis ornatum, peregrinæ in diabete utilitatis esse posse, jam vel e morbi nosologia patet, et nonnisi ab iis adhuc singulari pretio habetur, qui diabetis causam proximam in renibus ponunt.

ad §. 7.

a renibus derivatio. Experientia docet, quam cito saepe sedimentum e lotio dispareat, adhibito remedio purgante, id quod maxime in infantibus observare licet. Iude sequitur, quanti facienda sit methodus abnormem lotii secretionem sanandi, quam PROUT jure merito commendat, qui laudato potissimum phænomeno natus, canalem alimentarium illud esse organon judicat, cuius actio sit accele-

randa, minus roborantibus, quam evacuantibus, nisi locale forte organorum uropoëticorum vitium, aut universalis aegroti diathesis aliud imperet.

Omnis fere medela, quae hucusque in diabete utilis reperta est, ad ideam derivandæ secretionis morbosæ ad aliud organon excretorium, unde minus aut nihil periculi immineat, reduci potest. Dia-phoresis, FRANKII ptyalismus, Anglorum (BEDINGFIELD, ROB. WATT, PATRICK SATTERLEY) venae. sectio eo tendunt, ut exuberans secretio morbosæ reserato fonte vicario impediatur.

ad §. 8.

natri phosphorici. NICOLAS et GUEDEVILLE primi commendarunt in diabete natrum phosphoricum jure chemico, quo vero chémia, uti quam saepissime in therapia, hoc præcipue loco excidere videtur, ubi vix alio modo agit natrum phosphoricum, quam aliud quodvis purgans salinum.

Balnea tepida. Nil dicam de laude balneariorum in diabete, ubi insigne pretium sibi vindicarunt. Attamen haud abs re alienum puto, communicare locum de hac medela rariorem. In IOANNIS LOCKII, philosophi Britanni, excerptis ad DAN. LEMNESTI libros de medicina, ipsius manu scriptis Londini 1725, quod volumen COCCHEIUS in opere de balneis Pisaniis indicat, legitur: „Io trovò al capitolo del Diabete questa nota, non so, donde cavata: Il Dottor BARBIRAG me disse, ch'ei non aveva veduto più di sette infirmi di questo male, ch'ei lo portarono due o tre anni, e tutti morirano d'infiammazione di polmoni e sputarono sangue un-

giorno o due avanti alla lor fine. Il latte suol riuscir meglio d'ogni altro rimedio, ma non è sufficiente. Ei provò inutile il cavar sangue e il purgare. I bagni e le cose refrigeranti fecero ottimamente, e co nobbe uno, che portò questo male sette anni e guarì poi finalmente col bevere in abbondanza dell' aqua raffreddata coldiaccio, e visse dopo sino ai settanta anni.“

ad §. 9.

fine antispastico. Negari sane nequit, vix unquam in diabete spastici quid abesse, hinc magna antispasmodicorum virtus, hinc merita laus opii, pulveris Doweri, balnei tepidi, valeriana cum tartaro stibiato, emplastri cantharidum, asae foetidae, emeticorum, nisi forte haec immerito antispasmodicorum classi adnumerentur. (On emetics in diabetes mellitus by Dr. J. R. WALKER. Salzb. med. chir. Z. 1816. B. III.)

Chelidonii. Ad constantia quidem phaenomena pertinet pulsuum raritas in diabete. Sic BARDLEY (Salzb. med. chir. Z. 1816. B. III.) merinit, pulsus in femina diabetica non superasse quadraginta, facta dénum venaectione ascendisse ad octoginta. Etiam in nostro aegroto per rari erant initio, ex usu ammonii sulphurati et cantharidum frequentiores facti. Sed observata quoque initio est mira pulsuum raritas ex usu chelidonii (F. G. VOIGTEL's Arzneymittell. herausgeg. v. KUEHN. Leipz. 1817. B. III. p. 38.), id quod etiam respondet phaenomeno l. c. hujus §. de scripto.

VITAE CURRICULUM.

Natus sum Tribovii, Moravorum 25. Oct. anni 1789 patre IOANNE SCHUSTER, oppidi illius cive, matre IOANNA, e gente BIDERLIANA, quibus parentibus dilectissimis adhuc vivis gaudeo. Rudimentis literariis in patria urbe imbutus, in gymnasio, quod Litomislší in Bohemia est, literis humanioribus sum eruditus. Tum studia philologica, philosophica nec non theologica in Instituto Piarum Scholarum, partim Nicolsburgi, partim Cremsini eductus sum. Nulla unquam dies e mente mea delebit memoriam virorum, qui ad excolendum juvenilem animum quidpiam contulerunt. Cara mihi praepositis in omne tempus erunt nomina CATEJANI NEUHAUS, CYRINI SCHULTHEISS, FRANC. MORAWEZ, ZACH, PARMA, LAC. KELLNER. Postea docendi muneri admotus, jam in variis Moraviae gymnasiis, subinde et Neopragensi linguam graecam et latinam docui, jam in C.R. Academia Theresiana Nobilium praefecti munere functus sum. Tandem artis medicae, cuius magno semper amore ferebar, studium amplexurus, Vratislaviam me contuli, ubi 22. Oct. anni 1816 ab ill. Prof. BARTELS, eo t. Rectore Magnifico, civium academicorum numero adscriptus, et hasce deinceps doctus sum disciplinas:

ab ill. OTTO, anatomiam theoreticam et practicam, syndesmologiam, historiam foetus humani, anatomen comparatam, methodum sectiones forenses rite instituendi, nec non artem cadavera humana rite secandi;

ab ill. FISCHER chemiam experimentalem, chemiam corporum organicorum, analysin aquarum medicatarum, chemiam pharmaceuticam;

ab ill. TREVIRANUS anatomiam et physiologiam plantarum, earundem virtutes medicas juxta ordines naturales, plantarum officinalium cognitionem;

ab ill. BARTELS physiologiam corporis humani, pathologiam generalem, doctrinam de hominum temperamentis, de electricitate animali, de contagii eorumque ad alia corpora ratione;

ab ill. WENDT doctrinam intoxicationis et asphyiae, de morbis infantum et de aquis medicatis Germaniae;

ab ill. BENEDICT encyclopaediam medicam, chirurgiam generalem et specialem, ophthalmiatricen, artem fascias chirurgicas rite applicandi, doctrinam de febribus intermittentibus. Qui etiam benignus mihi ad lectulos aegrotorum in clinico chirurgico dux obtigit;

ab ill. REMER praecepta materiae medicae, methodum formulas medicas concinnandi, therapiam generalem et specialem. Cujus quoque eruditio et consilium in clinico medico singulari benevolentia mihi tironi adfuit;

ab ill. ANDRÉE artem obstetriciam tum theoreticam, tum practicam, historiam artis obstetriciae, armamentarii obstetricii cognitionem, ejusque me discipulum fuisse in clinico obstetricio, mihi gratulor;

ab ill. KLOSE doctrinam de morbis psychicis eorumque therapia;

a clariss. LICHTENSTAËDT doctrinam de politia medica.

Quorum virorum memoriam, dum vivam, grato recolere animo nunquam desinam.

Accedit eximia clariss. Dris EBERS in me benevolentia, qua mihi obtigit, ut quotidie nosocomii 00, SS., cui praest, aditus mihi pateat. Cujus singularis in me benignitatis tesseram grata mente semper venerabor.

Paracto nuper tentamine et examine rigoroso hunc libellum exaravi, quem contra diverse sentientes defendendi Gratiosa Facultas Medica benignam mihi copiam fecit.